

Kreis
Paderborn

S. 147

1189 [vor Sept. 25].

[23

Conrad, Kardinalbischof von Sabina und Erzbischof von Mainz, bestätigt dem Kloster Hardehausen die Schenkung des Volpert von Borfen, dessen Söhnen und Schwester zu Marienrode (Kreis Homberg).

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Conradus, Dei gratia Sabiniensis episcopus et Moguntinae sedis archiepiscopus monasterio Hersvithelus(ensi) in perpetuum. Amen. Ex iniuncto nobis regiminis officio ecclesiarum cure nos decet intendere, quatinus in bonis spiritualibus crescant et progressum accipiant in mundanis. Proinde quia in tempore gesta labente tempore labuntur a memoria, quod rationabiliter actum cognocimus, notitiae posteriorum in pagina praesenti scripto transmittimus, scilicet quod nobilis quidam Volpertus de Borke cum sua coniuge donavit monasterio Herssvithelus(usensi) de propriis hereditate novale, cui de novo nomen inditum est: Novale beatae Mariae et ipsi fratres proprio labore et sumptu illud in agros redigunt. Dedit et quatuor mansus in villa Rapoldishusen¹⁾. Cuius etiam soror pia Nonime eius que duo filii Volpertus et Conradus quintum mansum in loco eodem pro animarum suarum remedio praefatae donationi addiderunt. Fratres quoque memorati coenobii quatuor alios mansus eidem villae adiacentes singulos a singulis dominis pretio competenti comparaverunt; primum cum nostro consensu a canonicis Frideslariensibus, qui et ipsi illius pretium ad reaedificationem suae ecclesiae, quae incendio vastata erat, impenderunt. Sed et Lodewicus landtgravius eiusdem mansi advocatiam pro salute animae suae nobis resignavit. Secundum vero mansum a quodam Conrado Frideslariense et uxore illius Ermendrude comparaverunt. Tertium a Helunberto, qui ex familia erat supradicti Volperti. Ne quis igitur machinatione perversa hoc decretum convellat inposterum, sigilli nostri impressione et testium subnotatione iussimus roborari. Si quis autem illud ausu aliquo temerario violare praesumpserit, sciat se Dei omnipotentis auctoritate, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli et domni papae Clementis et nostra sententiam excommunicationis incurrisse. Huius rei testes autem sunt Burkardus, praepositus sanctae Petri Moguntiae, Godescalvus praepositus de Nortinen, Gunpertus Geismarien, praepositus, Adeelhelmus Frideslariensis decanus, Lodowicus scholasticus, Henricus cantor, Gunpertus, Maremannus, Meingotus cellerarius. Laici vero Conradus fratruelis supradicti Volberti donatoris, Gunperdus et Arnoldus, sororis eiusdem filii; Wichogus de Bercolverothe et alii quam plures. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCLXXXIX, indictione VII.

VII, 48sq. Regesten bei Böhmer-Wißl, Reg. archiepisc. Magunt. XXX, 214. Datierung daf.; Stumpf, Acta Magunt. Nr. 108 (nach Oberhams Collect. V Wolfenbüttel).